



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Lectori Benevolo S.D. Nathan Chytræus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



LECTORI BENE-
VOLO S. D.

NATHAN CHYTRÆUS.



Nus jam agitur pené vigesimusquin-
tus, cum qualiacunq; hodieporica mea,
uno volumine comprehensa, uná cum
monumentis quibusdam, & inscriptioni-
bus nobilioribus, passim á me in variis
itineribus observatis & collectis, publica-
vit usq; mox distractis, alteram ejusdem opusculi editio-
nem, priore aliquanto correctioré & locupletio-
rem, ceppi adornare. cujus etiam exemplum in officinam heredum
Egenolphi imprimendum á me Francofurdiam tum mis-
sum est. Cum autem ibidem moræ aliquæ, quod hodie
optimis quibusq; libris feré contingit, editioni illi inter-
venirent: placuit tandem typographo, ex cõsilio virorum
quorundam eruditorum, sola itinera carminibus descri-
pta, seorsim prelo subjicere: Epigraphas autem illas, pecu-
liari editioni reservare. Communicaveram autem tum far-
raginem illam inscriptionum viro nobili, optimo & do-
ctissimo, D. Jacobo Monavio, patritio Bratislaviensi, ami-
co meo plané singulari, cum is eo ipso tempore suas in
Italiam & Galliã peregrinationes adornaret. Verum pau-
lò post, sané non sine incommodo & dolore nostro, eve-
nit, ut peste ad Mœnum sæviente, vitam cum morte com-
mutaret vir humanissimus, & officii plenus Conradus
Albinus, reipub. illius patritius; qui opusculorum illo-
rum in lucem emittendorum, quidam quasi ἐπιτομή, *ἐπιτομή*,
ita enim ipse volebat, Francofurti á me erat constitutus.
quo extincto, & operis hae in parte cessantibus, reposcere
tandem collectanea illa mea volui. quæ quamvis interea
ἀνεκδοτα, sed tamen multis sui partibus auctiora, inter
alias

P R Æ F A T I O.

alias ejus generis chartas apud me jacuerint: accidit tamen peropportune, ut mora ista planè ἀμεταμέλητος & mihi & opusculo illi censenda esse videretur. Pauló enim póst itineribus suis ex animi sententia confectis, sospes ad suos rediit Monavius: & ut pro communicatione illa mea priorigratum se mihi (ea enim est viri integerrimi humanitas) ostenderet; meque munere quám simillimo remuneraretur; & jam tum, & deinceps quoq; complures subinde ejus generis Epigraphas, & tandem etiam anno superiori magnam earum farraginem, partim á se ipso collectam, partim ab amicis hinc inde sibi communicatam, ad me misit. qua quidem ego non mediocriter sum delectatus: & sicuti opus erat, & ipse Monavius petierat, statim earum ἐκλογὴν, cum labore & temporis impendio non exiguo, institui: in qua hoc egi, ut ea præcipuè seligerem, quæ vel aliquam singularem doctrinam, vel salutarem in vita admonitionem continerent: vel quæ memorabili alicui historię servirent: aut quæ rari alicujus & observatione digni eventus aut exempli mentionem facerent: aut quæ aliàs aliquid peculiaris ingenii, elegantię, salis vel acuminis præ se ferre viderentur. Cætera vel obscura, vel etiam nimis vulgaria, vel insipida, vel obsoleta, & nudis notis, aut tantúm fere nominibus propriis constantia, & criticis occasionem rixandi præbitura, ut plurimúm, dedita opera, prætermisi. Ad Epigraphas autem á meipso collectas quantum spectat; earum nonnullas, præsertim Parisienses, Anglicanas, & Italicas, cüm anno 1565. & duobus sequentibus ἀυτοψίας earum mihi contigisset opportunitas, ipse descripsi: nonnullas jam antè ab aliis descriptas & mecum communicatas, in vindemiolas meas retuli. Qua in parte non possum non celebrare honestissimi & prudentissimi Joannis Baptistæ Haincelii, Patritii & Consulis tum Augustani p.m. singularem erga me benignitatem & humanitatem, quam ille mihi anno 1566. Augustæ in primis Imperatoris Maximiliani I. Comitibus abundè declaravit: cüm non solum in præsentia virorum clarissimorum Joan. Cratonis, Casp. Peuceri, Hier. Wolfii, & aliorum, eleganter apparato, & sermoni-

P R Æ F A T I O .

bus optimis condito convivio subinde me exciperet: verum etiam (cum me itinere Italico accinctum tum videret) omnia quæ ipse quondam in eodem itinere memorabilia observasset, è chartis & scriniis suis deprompta, candidè admodum & liberaliter mecum communicaret. Cujus certè beneficii commoda & fructus in toto deinceps itinere sensi uberrimos, cum illius indicio, & quid quovis in loco potissimum inquirendum esset, perspicerem: laboreq; & molestia omnia investigandi, & hinc inde conquirendi ac describèdi me sentirem sublevari. Postea, cum itineribus, Parisiensi, Anglico, Veneto, Romano, & Neapolitano feliciter confectis per Helvetiam in Germaniam rediissem; & magnam partem æstatis anni 1567. Misenæ apud optimum doctissimeq; eruditum, & horum studiorum amantissimum virum, D. Georgium Fabricium consumerem; & is quoque penè omnium, quæ eo in genere haberet, sine invidia participem me faceret; opus illud inscriptionum variarum non mediocriter auctum est. Sicut interea quoq; in Ducum Venetorum Epitaphiis colligendis usui mihi fuit D. Henrici Kelneri liber de vita, moribus & rebus gestis principum Venetorum. Sanctodionysiana recentiora describenda mihi concessit vir doctiss. & humaniss. D. Petrus Pavo Medicinæ D. & in Academia Leidensi Professor. Palatina ad Rhenum monimèta præcipua, pleraq; elegantissimè descripta, ad me misit nobiliss. D. Paulus Melissus. Wirtebergica verò M. Matthæus Chytræus, frater meus germanus, & Ecclesiæ Grumbachensis pastor mihi curavit, Borussica, operâ amicorum mihi conquisivit, vir opt. & doctissimus, & hospitii quoq; necessitudine mihi conjunctus, D. Valentinus Schreckius, scholæ Marianæ apud Dantiscanos Rector: qui & ipse in Regiomontanis conquirendis opera doctissimi & humanissimi viri M. Martini Wintèri, Professoris Academiæ Borussicæ fidelissimi usus est. Viennensibus libenter plura addidissim, sed præter aras sepulcrales inclytæ familiæ Salmensis à V. C. L. Nicolao Reusnero editas, nihil eorum hæcenus videre mihi licuit. Ad Alpina quantum spectat; pleraque eorum habeo ex Itinerario honesti & eruditi juvenis Alberti Heinii, C. L. J. U. Doctoris, & consulis Reipub.

P R Æ F A T I O.

pub. Rostochiēsis D. Friderici Heinii filii, disciplinæ olim
 meæ alumni. Danica magna ex parte refero accepta viro
 & Mathematico nobilissimo Tychoni Braheo. Cimbri-
 ca, & quidem ut plurimum in arcibus, palatiis, structuris,
 & monumentis viri illustris & magnifici D. Henrici Ran-
 zovii vicarii regii obvia, & per Georgium Crusium, Pe-
 trumque Lindebergium collecta, ipse herus ad me misit.
 Megapolitana nonnulla habeo ab amico perveteri D. Ja-
 cobo Bordingo, Cancellario Megap. integerrimo. Reli-
 qua hinc inde mihi descripsit juvenis probus & eruditus
 Simon Paulus affinis meus. cujus operâ & industriâ in
 manus quoque meas pervenerunt hujus generis collecta-
 nea docti & accurati viri Samuelis Fabricii, non ita pri-
 dem Secretarii Megap. qui in suis per Germaniam in Ita-
 liam, & aliis quoque, quæ ill. Joan. Alberti jussu confecit,
 itineribus, studiosus admodum omnis generis Inscriptio-
 num collector fuit. Sed morte præventus publici eas juris
 facere non potuit. Qui quidem ipse Fabricii hujus labor,
 levamento non exiguo futurus esset ei, qui talium colle-
 ctionem meditatur copiosiore. Polonica, quotquot fe-
 ré sunt, nactus sum ab honesto & docto juvene Bartoldo
 Weccio, meo olim convictore. Epigrammata Julii Cæsa-
 ris Scaligeri, nonnullarum clararum urbium Epigraphis
 præmissa, unde petita sint, omnibus liberaliter eruditis,
 etiam tacente me, constat. Reliqua feré omnia accepta, ut
 dixi, refero liberalitati D. Georgii Fabricii, & Jacobi Mo-
 navii, V. C. L. L. quorū hic quoq; D. Joannis Henrici I. B. F.
 Haincelii, patricii Augustani, Johannis Posthii archiatri
 Palatini, & Abrahami Ortellii, Cosmographi Antvverpiē-
 sis, virorum præstantissimorum doctissimorumq; hac in
 parte liberalitatem erga se singularem non obscure apud
 me prædicat. Quæ omnia eam quoque ob causam proli-
 xius hîc censui commemoranda, ne quis putaret, me in
 morem corniculæ Æsopicæ, ornamentis, aut ad Thraso-
 nis Terentiani imitationem, laboribus delectari alienis,
 partamq; ex iis gloriâ ridiculè mihi ascribere, á qua vani-
 tate semper alienissimus esse studui. Deinde, ut alios quo-
 que bonos viros, penes quos eleganter hunc thesaurum
 deinceps quoq; augendi & complendi facultas est, allice-

PRÆFATIO.

rem, ut ipsi quoq; mantissas hac in parte suas nequaquam mihi inviderent: sed potiùs liberaliter eas mecum communicarent: idem officii hujus sui præmium, hoc est, nominis sui ex grato animo profectam celebrationē publicam, Deo volente, suo tempore à me accepturi.

Non autem opus esse existimo, ut harum Inscriptio-
num collectanea tibi, benevole lector, multis verbis com-
mendem; cùm earum evidentissimè conspicua sit & ju-
cunditas & utilitas. Nam ut de honestate & dignitate hu-
juscemodi observationū jam taceam; quid quæso jucun-
dius est, quàm in uno, non nimis magno, libro compre-
hensa habere, tot vel virtutum, vel etiam vitiorum causâ
celebratissimorum virorum, mulierum, juvenum, virgi-
num, puerorum nomina, elogia, res gestas, mortes? cùm
ut aliis, ita his quoq; in rebus dulcedo multa cognoscen-
di & sciendi, cæteras omnes suavitates longissimè supe-
ret: affirmante hoc etiam veteri sententia, alicubi à Cice-
rone citata, εἰδὲν γλυκύτερον ἢ παντ' εἶδέναι: præsertim
si illud τ' ἀγαθὰ, quod Themistius addit, nō prætermi-
tatur. Quid etiam suavius multiplici illa rerum & even-
tuum diversissimorū varietate & vicissitudine? in qua an-
cipites sæpè casus excitant admirationem, lætitiā, spem,
timorem, molestiam, luctum. cui tamen ipsi luctui ali-
qua, licet cum dolore permixta, voluptas inest: lectore
hunc vel similem in modum, rerum, quæ narrantur vel
describuntur, ideam animo suo conceptam efferente:

Hac dicens, faciens, tolerans, vivusq; jacens ve,

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:

Hinc lacrymarum acri simul ipse accendor amore.

Quàm item varia variorum in his monumentis studi-
orum, & institutorum, vanitatisq; adeo ingenii humani
exempla sunt? quibus iste hoc, ille alio modo, humo, ut
Maro canit, se tollere, & nominis celebritatem, vel, ut ipsi
putabant, immortalitatem consequi sunt conati. Quàm
variæ ipsis, mortuorum jam, epitaphiis adhuc insunt, sæ-
pe etiam de rebus vitiosis & frivolis gloriationes? quan-
do alius corporis sui formam, aut robur; alius ingenii sui
acumen, alius varias peregrinationes, alius eloquētiae aut
fortitu-

P R Æ F A T I O.

fortitudinis suæ vim, alius divitias & honores suos, alius suam in hostibus etiam sepeliendis humanitatem & pietatem, alius prælia & victorias suas, alius deniq; hujus, alius alterius artis vel virtutis jactat præstantiam: quæ tamē à morte immunem eorum præstare potuerunt neminem. Quàm varia quoq; mortis genera repræsentantur? quando alius pié alius impié, alius domi alius peregré, alius ab hoste, alius ab amico, alius per insidias, alius per apertam vim, alius præcipitio, alius submersione, alius suspendio, alius veneno, alius laboribus & vigiliis, alius segnitie & ignavia, alius morfu felis aut canis, vel calce equi, alius juvenis, alius senex, alius sponsus, alius viduus, alius remedium quærendo, alius respuendo, alius cum spe vitæ melioris, alius desperabundus, alius cur moriatur nescius, alius denique *αὐτόχειρ*, aut alio casu inaudito & admirando perit. Quos quidem attenté considerando, quis non in occasionibus hujuscemodi casuum vitandis evadat circumspetior? in imploratione divini regiminis, & præsidii sanctorum angelorum petitione ardentior? in pia deniq; & seria ad fatalem illam migrationem præparatione accuratior? sic quoque aut similem in modum subinde una mecum exclamans,

Guttula cùm vita mihi sit tantùm unica; cur me

Mille necis species, funera mille premunt?

Qua in parte jucundum quoq; est videre, quàm diverso affectu superstites mortem suorum ferāt. alii enim irascuntur, alii indignantur, alii Deo ipsi maledicere non verentur, alii lamentantur, alii queruntur, alii mortuis blandiuntur, alii æquo animo spe resurrectionis se consolantur, alii mortuis commori, alii sua morte illorum vitam redimere, ut videtur, cupiunt, atq; ita deinceps. Præterea, cùm totam vitam hominis pii meditationem mortis esse debere in confesso sit; quàm utile erit polyhistori, præsertim adolescenti, si hujus generis delicias confectans, subinde in tot funerum, cadaverum, sepulcrorum, & monumentorum, non solum hominibus, verum canibus quoq; & equis, imò muscis quoq; subinde exstructorum, mentionem incidat? quibus ipse quoq; mortalitatis suæ admonitus, vitam & mores in tempore incipiat emendare; &

);(v

P R Æ F A T I O.

cristas suas paulatim magis magisque demittere. Jam verò, cum teste Horatio, non cuivis homini contingat adire Corinthum; quando alius hac, alius alia de causa à peregrinationibus longinquis cogitur abstinere: quid tibi, humanissime lector, in huiusmodi vita, quam ita vocare liceat, sedentaria, jucundius esse possit, quam in libro, eoque non nimis ponderoso, una quasi *συνόψις* ea omnia aspicere; quorum aliqua saltem ex parte (vix enim uni, ut hæc omnia coram videat, contigerit) videndorum gratia alii tantos itineris labores suscipiunt, tantos sumptus faciunt, tot, vitæ quoque nonnunquam, periculis se exponunt. Quod si in regionibus longinquis adeundis & contemplandis, forte ipse quoque olim operam aliquam posuisti; non est quod hanc quoque ob causam *συντάξιμα* hoc nostrum, quantumvis aliquando, quod lubens fateor, cum aliter fieri non posset, *ἀτακτον* asperneris. Cum enim plerorumque, præsertim senescentium jam, memoria vacillet; hujus & similium librorum indicio, ea, quæ ante multos annos coram vidisti, in memoriam subinde tibi revocare, eique altius poteris infigere. Sicuti ego ipse, in hac congerie dum versor, haud injucunda tot rerum, locorum, gentium & urbium recordatione perfruor. Quinimò etiam si adolescens adhuc, & quidem satis fortunatus, ac peregrinationum cupidus sis; teque ipsum hæc & similia suis in locis aliquando contemplaturum esse speres; non tamen idcirco hæc nostra planè tibi despicienda esse putabis. Multa enim cadunt inter calicem supremaque labra. Et etiam si omnino peregrinationi illi tuæ nulla se objiciant impedimenta: tamen moras aliquas (cum non omnia ad diuturnas peregrinationes necessaria statim omnibus obvia sint) intervenire solere notum est, quarum tædium, deliciae hæc nostræ aliquantulum tibi lenire, teque adeo præparare & instruere poterunt, ut mox majori cum fructu & emolumento, minori que cum molestia tua peregrineris: habens scilicet jam pleraque omnia, in quibus describendis, alias tibi non absque tædio fuisset laborandum. In his igitur ipsis, quod commodo tuo fiat, evolvendis & perlustrandis cum versaberis; cogitabis te
 in hor-

P R Æ F A T I O.

in hortulo, non plané inculto, violas aut rosas jam decerpere: donec pauló póst in ipso peregrinationis tuæ liberiore campo, florecentium tibi jam arborum fructibus maturis, te oblectare, animumq; adeó φιλοθέωρον totum explere possis. Quod ut cum salute animæ & corporis tui fiat, ex animo tibi opto.

Interea de aliis quoque nonnullis amicé te censeo monendum, ne præter meritum forte in reprehensionem tuam incurram. Qua in parte fieri potest, ut titulus libri hujus, delicias lectori pollicens, aliquem nimis fortasse in hoc genere delicatum offendat, præsertim si alicubi in veteris barbariei incidat reliquias, quales sunt quas in inscriptione monumenti Philippi Decii, Pisis in campo, quem vocant, sancto sepulti, in Elogiis doctorum virorum his verbis exagitat Paulus Jovius: *Octogenario, inquit, major interiit, delatusq; est Pisas, ad sepulcrum marmoreū, magno sumptu á se in maximi templi fronte constitutum, inscriptione adeó inepta, ut si eam supponamus elegantibus ingeniis, non sine pudore boni mortui, ridenda videatur.* Quod quidē ipsum tanti viri & historici iudicium, etiamsi verum esse non negemus: tamē nos alias ob causas eam ipsam Inscriptionem, quantumvis ineptam, non censuimus prætermittendam. inter quas causas hæc vel prima est, quód exemplum insigne cōtineat vanitatis, positæ in gloriatione de amplis stipendiis, & variis ac splendidis officiis híc illic non sine maximo fructu administratis; maximé si gloria illa ne quidem post mortem cesset, quæ hujuscemodi umbris plané nihil movetur. Quando igitur in hæc & similia inter legendum incidis, cogitabis, si verbis nihil elegantia aut leporis insit, forté res ipsas & sententias tales esse, ut probé examinatæ non plané repudiandæ videantur. Et quidē hæc ipsa barbaries, si cum nostri hujus seculi elegantia prorsus exquisita conferatur; aliquid secum afferret voluptatis. Forte etiam nō deerunt, qui antiquas Epigraphas malint, quám recentes. Quos ego ad complura, & quidem satis ampla, in hoc genere publicé edita relego volumina; interim tamen confirmare minimé dubius, multas in recentibus his Inscriptiones contineri, quæ veteribus, nec bonitate, nec utilitate, addo etiã acumine &

P R Æ F A T I O.

elegantia, cedere debere, id quod res loquetur ipsa, videantur. Fieri etiam potest, ut quædam Epigraphæ minus emendatè descriptæ in manus nostras pervenerint. In quo quàm facilè sit labi, præsertim scribis, quales pleriq; sunt, non solidè eruditis, qui intelligunt, facilè nobis veniam dabunt. Ordinem quoque Inscriptionum alicubi concinniore esse potuisse ipse ultró fateor. Verùm cum illæ diversissimis temporibus & occasionibus hinc inde ad me missæ sint; neq; ego semper locorum ubi visuntur, *αὐτόθεν* esse, in tanta distantia, potuerim; *ἀπαξίαν* quoq; hinc omnem averruncare non potui. Quod etiam non omnibus Epitaphiis nomina sepulcorum præfixi, consultó id factum est, ut nimirum illa nominis omissione in ipsum epitaphii sensum eo accuratiús lector intenderet, quod alias nomine lecto fortè fuisset prætervolaturus. Quod ipsum in epitaphiis suis video fecisse D. Georgium Fabricium. Reprehendent quoq; forsitan aliqui, quod in hac Inscriptionum nostrarum editione typographus nõ usus sit litteris majusculis; quas plusculum elegantia & dignitatis hujuscemodi monumentis afferre solere, ego quoq; non nego. Sed ratio hac in parte habenda fuit peregrinantium, quibus potissimùm laborem, hunc nostrum servire volumus. Qui sanè ipse labor sine hoc suo excideret; si libri hujus chartæ in eam molem excrescerent, quæ iter facientes primo aspectu offenderet & á se repelleret. Hæc ferè ea sunt, de quibus te in hujus operis vestibulo potissimùm censui præmonendum. Tu ea in bonam partem accipe, & laboribus hisce nostris utere frui felicitè. Vale. Brema, Idib. Octobris, anno
 c l o I o x c i i i .

E I D E M